

12 SECT. I. DE ARTE RELAT. IN GEN. ECT.

cendi gratia constitutis non vtilis modo, sed et necessariae. Frequentia quippe casuum proponendorum et diiudicandorum, vt et membrorum multitudo cuius eorum informationem ex ipsis Actis non permittit; omnes tamen informandi sunt, quo res controuersa secundum votorum pluralitatem possit diiudicari, quod igitur alio modo, quam adhibitis relationibus, fieri nequit. Deinde et ipsis horum collegiorum membris, quibus relationes incumbunt, ars nostra magno est adiumento, quo et faciliore et meliore modo iis se expediant.

§. 8. Silere data hac occasione nequeo, mihi quidem displicere eorum in tradenda huius artis theoria methodum, qui quae ad theoriam iuris et formam processus, vt et ad iurisprudentiam cauentem spectant, immiscentes eius fines iusto nimis protendunt. Equidem in ea sum sententia, vt illa omnia aliis institutionibus relinquenda et in artis relatoriae discipulo praesupponenda, at huic theoriae non nisi regulas scite legendor. extrahendor. et referendorum Actorum proprias et ne decisionum concipiendarum formulas quidem illi admiscendas esse putem.

SECT.